OBSERVATIO
INTESTINORUM
PARTIS INTUSSUSCEPTAE
ET, SALVA VITA,
PER ALVUM DEJECTAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXX. M. OCTOBR. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROL. FRID. HENR. HEDINGER,
RAWICZO-POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. WERLITZ, MED. ET CHIR. DR.
F. HAUCK, MED. ET CHIR. CAND.
J. KRIEG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

C. L. SWICKART,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EXERCITUS BORUSSICI DIVISIONIS QUINTAE MEDICO SUPREMO, AQUILAE RUBRAE IN CLASSI TERTIA, ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSI SECUNDA ET ORDINIS RUSSICI A ST. WLADIMIR. IN CLASSI QUARTA EQUITI AURATO

ETC. ETC.

FAUTORI ET PATRONO

SUMME VENERANDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HENRICO HEDINGER,

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI,

AD OBITUM USQUE COLENDO,

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

LECTURIS S.

Quamquam quae in hac dissertatiuncula propositurus sum, neque nova sint neque inaudita, sed jam saepius a medicis observatum sit, intestini quibusdam partibus per alvum ejectis, vitam tamen per satis longum temporis spatium servatam fuisse; tamen hunc casum non modo, quod rarius occurrit, sed etiam quod et decursu et exitu prae ceteris insignis est, haud indignum esse arbitrabar, qui dissertationis materiam mihi exhiberet. Jam vero erras, si de intussusceptione in genere, de variis ejusdem theoriis atque causis, de decursu, exitu atque curatione copiosius me disserturum putaveris. Siquidem de his celeberrimi auctores per libros tam medicos quam chirurgicos abunde disputarunt, ac plures in lucem prodierunt dissertationes, quae hunc locum uberius tractavere. Quam ob rem aegrotae, quam Patri meo, medico practico, curare obtigit, historiam quantum pro virium imbecillitate licebit, sine ullis verborum atque conjecturarum ambagibus, simplici oratione enarraturus, non nisi obiter ea tangam, quae ab aliis hac de re memoriae prodita sunt. Quoniam vero aegrotae domicilium longius aberat a Patris mei sede, quam quod vel

semel quotidie per cetera ejus officia adire liceret, nonnulla fortasse neglecta esse deprehendes.

Pleraque igitur, quae ad anamnesin, ad symptomatum enarrationem morbique decursum atque exitum, denique ad medendi methodum pertinent, Patri debeo, qui, cum nuperrime graviore morbo detentus, praesentem aegrotae valetudinem, tradere mihi non posset, reliqua a viro Cel. Doctore *Gumpert*, consiliario aulico, medicoque publice constituto, accepi, atque imprimis accuratam pristinae valetudinis, ejusque qua nunc utitur, integrae fere sanitatis descriptionem: pro qua equidem benevolentia, maximas illi, quas possum, gratias ago. Quare haud quidem aliter, quam ex ipsius omnem te morbi historiam accipere putato, aegrotae ore, quam, vel ex ipsa, dummodo copiam nactus fueris, solito mulierculiarum more verbosius expositam audire poteris.

Ejecta vero intestini pars, infra describenda, in universitatis literariae Fridericae Guilelmae museo anatomico servatur, cui qui praeest Illustr. *Rudolphi*, ea, qua solet, humanitate, occasionem tibi, praebebit, diligentius illam, si placuerit, contemplandi.

Ac vos quidem, L. B., benigne hasce qualescunque pagellas excipiatis, omni, qua par est, observantia rogo.

HISTORIA MORBI.

Ch. *Ziegeler*, e gente *Keiliana*, Sarnoviae, parvo magni ducatus Posnanensis oppido, annos nata sexaginta tres parentibus validis, infirma potius atque tenui, quam robusta corporis constitutione, inde a prima aetate secunda valetudine usa est.

Morbis, quibus infantes laborare solent, exceptis, quos tamen feliciter superavit, neque scrophulosi unquam, neque morbis exanthematicis laborasse, neque pubertatis tempore ullo menstruationis vitio turbatam se fuisse affirmat. Virgo annorum viginti *Ziegelero* nupsit, ex quo tres liberos validos, viventes adhuc, peperit, neque unquam haemorrhoïdibus, arthritide, neque passione hysterica huc usque correpta est. Cum vero quadragenaria fieret, sine ullo incommodo menses cessaverunt. Anno MDCCCXIV cum quadraginta novem annos ageret, primum typho bellico tunc forte grassante correpta, convaluit quidem, doloribus tamen abdominis spasticis, regionem praecipue epigastricam, sic dictam, obtinentibus, per annorum octo spatium saepissime vexabatur. Quem quidem morbum, cum pro Colica spastica atque Cardialgia medici haberent, variisque remediis curarent, perfectam tamen sanitatem nunquam restituerunt. Neque vomitus hasce morbi accessiones

comitabatur, vomituritione tantum aut ructu acido flatibusque aegrota laboravit. —

Quae cum accuratius consideraveris, minoris certe momenti fuisse concedes, praecipue, quum ipsa aegrota narret, nullo se tempore cibis salubrioribus diligendis, noxiisve vitandis, operam dedisse, neque tamen unquam incommodum aliquod inde fuisse expertam.

Aetatis anno quinquagesimo septimo, die decimo septimo Julii, tempore meridiano, aegrota nostra rebus domesticis administrandis occupata, caute per cubiculum incedens, etsi nullo per hunc diem gravi labore fatigata, neque corporis statu, qui naturae minus conveniret, usa esset, doloribus repente invaditur, a colicis haud quidem longe diversis, qui dextro latere ad palmae circuitum extensi, mox in regionem hypochondriacam dextram transeuntes, quasi constrictionis sensum excitabant, ac perinde iterum iterumve redeuntes, paulatim ingravescebant, latioresque facti, mox totam regionem epigastricam occupaverunt. Ac tum quidem aegrota tamquam annulo ferreo abdomen compressum fuisse perhibet, respiratione perdifficili, anxia, celerrima; quin etiam dolores ingentes ex imo quasi pectore spiritum rite ducere prohibebant. Interea motus vehementissimi omnem intestinorum tractum occupant, globorumque sensum, pugni magnitudinem adaequantium, excitant, quos, dum aegrota acerbissimo dolore vexata, manibus comprehendere conatur, vagos esse intelligit, locumque per abdomen saepius mutare.

Maritus, qui paulo ante uxorem salvam reliquerat, gravissimis illam doloribus excrutiatam, in-

deque de mentis suae statu omnino dejectam, orisque habitu mirum in modum turbato, humi prostratam, solumque manibus pedibusque pulsantem invenit. Facies, neque minus totum aegrotae corpus, quasi glaciali frigore horrens, gelido sudore madebat. Vestimentis remotis, tanquam exanimatam lecto imposuerunt, et qui auxilio supervenerant, cum laneis pannis calefactis abdomen foverent, et clysmata injicerent, quibus vitam elapsam revocarent, doloresque lenirent, regionem hypochondriacam profunde constrictam fuisse referunt. Remediis autem, quae dixi, utebantur propterea quod solitum Cardialgiae aut colici morbi impetum, sed magis exquisitum atque vehementiorem, adesse censebant, tum demum erroris convicti, cum plerisque ejusmodi remediis frustra in usum vocatis, sine omni eventus felicitate, triginta et sex horae praeteriissent: quin etiam vomitus accessit, quo fato, ventriculi contenta, sive solida, sive fluida, imo humores ejus inquilini, denique materia ex viridi flavescens ejiciebatur. Mox tenesmus etiam supervenit, gravissimus ac fere continuus, sine ulla alvi dejectione. Quae quidem affectiones, ne minimam quidem remissionem passae sunt, ita, ut et dolor et reliqua symptomata, spasticam naturam antea praeseferre, ac per minuta temporis intervalla penitus evanescere solita, nunc quidem continuo atque aequabiliter aegrotam excruciarent, eodemque modo vomitus parvis tantum intermissionibus factis, tres dies persistens, vires aegrotae extenuabat, ipsamque penitus exhaustam, in mortis periculum perduxit. — Quo facto cum tandem medici, Patris mei, auxilium peterent, hic quidem matutino tempore adve-

ctus statum aegrotae morbosum eum, qui sequitur, invenit: Aegrota in lectulo decumbens, mortis quasi imaginem praebebat, facie collapsa, pallida, sudore multo gelido, tenacissimo, respiratione perdifficili, celerrima angustissimis tantummodo inspirationibus insigni, arteriarum pulsu tenui, filiformi, celerrimo intra sexagesimam horae partem ad centies quinquaginta usque digitum tangente. Interrogata, quomodo valeret, tenui voce et languenti, vixque percipienda, respondit. Summa anxietate se torqueri, miserrimaque facie suique conscia manibus abdomini admotis, haec fere pronuntiavit verba: „Jam de se actum esse, dolorem enim ingentem, tamquam urentem, quem describere nequiret, continuo sese vexare." Quae cum diceret, vomituritio atque vomitus ipse stercoraceus illam iterum iterumque occupabat.

Morbi decursus, praecipue autem repentinus atque vehemens ejus impetus herniam incarceratam ad esse suspicionem movit. Quam ob rem Pater meus statim eas corporis partes, quibus intestina saepius procidunt, atque incarcerantur, oculis manibusque examinavit, et in his vaginam. Sed cum nulla herniae externae symptomata adessent, internam subesse opinatus est. In quo tamen temere se conjecisse animadvertit, simulac peculiarem miramque abdominis formam oculis lustravit. Etenim constrictum illud erat sursum a sinistro ad dextrum latus. Regione epigastrica callosus quidam tumor (Wulst) ad botuli instar in longitudinem, extensus, pugni magnitudine, in conspectum venit, qui in regione hypochondriaca sinistra sensim evanescebat, dextro autem latere regionem iliacam tangebat. Re-

liqua abdominis pars concava erat, integumentis intus contractis. Verum Pater meus abdomen digitis perscrutatus, hoc prae ceteris miratus est, quod solidum quoddam corpus sentiret, atque inaequale, vix ac ne vix quidem mobile, ad digitorum vel levissimum tactum acerbis doloribus reagens, quod e regione iliaca dextra, quasi praeceps exortum, per omnem regionem epigastricam continuo quasi prorepens, sursum ascendere, exinde vero deorsum vergens, vertebrarum columnam petere, atque ibi sensim abscondi atque evanescere videbatur. Hunc igitur tumorem vix levi manu attingens, lugubrem eliciebat aegrotae ululatum; at reliquae abdominis partes, et integumenta ipsa, licet audacius compressa, exiguum tantum excitabant doloris sensum, ita, ut et columnam spinalem et aortae singulos ictus, sine majori aegrotae incommodo digitis percipere, imo tumorem ipsum, praesertim ex regione umbilicali, quasi circumdare manu posset. —

Ac nunc quidem universum morbi cursum, atque ea, quae de praeteritis relata acceperat, accurate animo perpendenti, de intussusceptione conjectura, nequaquam videbatur inepta, etsi ipsa hujus morbi raritas et latior tumoris propagatio, cetera, quae occurrebant, circumstantiae, dubitationis aliquid movere, ipsiusque diagnosin non parum confundere potuissent. Neque tamen adeo difficile, symptomatibus cum positivis tum negativis hoc certe casu a similibus morborum generibus hoc malum distingui poterat, ita ut Patris mei diagnosis mox omnino firmata, extra omnem dubitationis aream poneretur.

Quae quidem omnia prudenter consideranti,

methodus antiphlogistica in universum non tantum non profectura, sed etiam venaesectio, aliaque hujus generis, nova virium exinanitione, vel noxia fore videbantur. Quare non nisi topice antiphlogisticam illam curationem adhibere instituit, eo quidem consilio, ut quidquid adhuc inflammationis superesset, exstingueretur, dolores autem, sive inflammatorii essent, sive spastici, quodammodo lenirentur. Ne vero inexpertum aliquid omitteretur, praesertim cum de salute restituenda omnino desperaret, alvum quoque ducere conabatur. —

Has igitur secutus indicationes secundum omnem intestini crassi cursum duodecim hirudinibus passim appositis, sanguinis fluxum per complures horas fovendum atque sustentandum curavit. Praeterea ter quotidie unguentum quod sequitur his partibus infricabatur:

Rec. Unguent. Althaeae
— Hydrarg. ciner. $\overline{aa}$ ℥ß
Tinctur. Opii simpl. ʒjß
Camphorae trit. ℈j.
M. D. S.

atque fomenta abdomini applicabantur ex his fere speciebus, aquae ebullientis sufficiente quantitate infusis:

Rec. Flor. Chamom.
Capit. Papav.
Herb. Hyosciam.
— Conii macul. conc. aa ℥jj
Semin. Lini contus. ℥vj.
M. D. S.

Medicamina per os ingerenda durante vomitu non nisi exigua dosi, vehementiora tamen atque

concentrata propinari poterant, ac ne haec quidem satis diu intus retinebantur. Erant autem haec:

Rec. Olei amygdal. dulc. r. e.
Aq. amygdal. amar. conc. $\overline{aa}$ ℥jß
Gummi mimos. q. s.
ut fiat emulsio cui adde
Syrupi emulsivi ℥ß.
M. D. S. Singulis horis cochlear minus.

Interea quaternis horis pulvere utebatur ex his composito:

Rec. Hydrarg. mur. mit.
Extr. Hyosc. $\overline{aa}$ Gr.j
Pulv. Gummi mimos.
Sacch. albi $\overline{aa}$ Gr. V.
M. D. S.

Praeterea balneis quoque passim imponebatur, neque minus clysmata applicabantur ex radicis Ipecacuanhae, herbae hyoscyami florumque Chamomillae infuso colato, cum olei lini recentis majore quam vulgo affundi solet, copia.

Quibus praescriptis, Pater meus jam sine minima salutis spe aegrotam reliquit.

Die vigesimo primo aliis officiis impeditus, quominus illam adiret, eos tantum, qui aderant, remediorum quae praescripserat usum continuare, omniaque, quae forte evenirent, postridie sibi nuntiare jussit.

Quod cum rite facerent, aegrotam eadem conditione detineri, nocte quidem proxima levi somno oppressam abdominis doloribus vomituritione ac tenesmo passim graviorem in modum redeuntibus suscitatam atque turbatam fuisse referebant.

Pater meus, cum eodem die foeminam vise-

ret, rebus neutiquam mutatis, nimirum pulsu exiguo ac fere nullo, pallida facie, extremitatibus frigidis, rigentibus, doloribus adhuc vigentibus alvoque obstructa invenit. Qua de causa medicaminibus iisdem adhibendis pergere ternisque aut quaternis horis interjectis, olei Ricini cochlearis dimidium haurire jussit. —

Sed cum deinde nullus veniret nuncius, qui de foeminae valetudine certiorem illum faceret, neque Pater jam dubitaret, quin dudum aegrota defuncta sit, filia tandem ejus advenit die vigesimo quarto Julii, matremque iisdem adhuc, quibus pridie, affectionibus detentam, alvum proxima nocte deposuisse, massamque emisisse quasi carneam, quam ipsa secum in matula attulisset. Hanc igitur massam, infra describendam, Patri ostendit, summeque petiit, ut quam celerrime aegrotae, quam exanimatam ac fere mortuam reliquisset, succurreret.

Quo cum mox pervenisset, aegrotae conditionem omnino mutatam esse, vel ex ipso vultu, probe jam composito, satisque hilari, cognoscere potuisset, nisi ipsa quoque clariore, quam antea, voce eum esset allocuta, „Alvum sese dejecisse, dicens, atque exinde eo se liberatam esse, quo gravissimos illos dolores excitatos fuisse putaret. Deo se gratias habere, quod salvam se esse voluisset, nunc vero rogare, ut cibi aliquid assumere Pater meus sibi permitteret. Tum ille jusculum ex cremore avenaceo hauriendum commendavit, quod dum conficeretur, ipse abdomen denuo lustrare coepit, cujus hae fere occurrebant mutationes:

Abdomen quidem ipsum dolorificum adhuc erat, gravius tamen tangi atque premi poterat, calor ejus immi-

imminutus, tumor vero ille teres, qui omnem fere regionem hypochondriacam dextram obtinuerat, oculorum digitorumque perceptioni prorsus sese subtraxerat. — Jam vero pulsus fortior digitum tangebat, longioribusque interpositis intervallis, modica tantum redibat vomituritio, et quum ipse vomitus non adesset, omnibus hujusmodi collatis, salutis non exigua spes et medico et adstantibus sensim nascebatur.

Emulsio cujus supra mentionem feci, nunc tribus aut quatuor horis interjectis minori dosi dabatur, unguento autem et pulvere, quoniam salivationis prodromi apparebant, abstinere jussa est. Eorum vero, quae supra laudavi, clysmatum loco, duo quotidie ex infuso seminum lini florumque chamomillae cum olei lini copia majori parata ingerebantur. Fomenta autem aegrota ipsa exoptavit, quod dolores iis praecipue et in priori et in praesenti statu leniri sentiebat. Ac pro potione utebatur decocto avenae, atque emulsione ex amygdalis facta.

Die vigesimo quinto bis alvum liquidam dejecit; quarum dejectionum altera, et haec quidem prima post miram illam massam per alvum editam, cum vomituritione et intestinorum acerbissimis torminibus conjuncta erat. Temperies universi corporis normalis fere, abdominis vero paulo major erat, arteriae pulsus intra sexagesimam horae partem octoginta digito percipiebantur. Oleum Ricini nunc omissum est; emulsio autem et clysmata continuebantur.

Die vigesimo sexto pater aegram non visitavit. Vigesimo septimo magnam observavit debilitatem,

viriumque exinanitionem, tamen aegrota, non tantum majorem ciborum copiam, eorumque graviorum, sed medicamina quoque roborantia flagitare atque exigere non dubitabat. Quare jus ex columbina, gallinacea et vitulina carne confectum, cum vitello ovi, et pro medicamento decoctum Chinae adhiberi coeperunt.

Atque ita aegrota sensim convaluit viresque paucis diebus interjectis mirum in modum refectae, non mpediebant, quominus trigesimo ejusdem mensis idie lectúlum relinquere posset.

Semestri temporis spatio praeterlapso, Patri meo copia facta est, foeminam istam videndi, unde secunda valetudine fere continuo gavisam esse comperit, corporis vero, ceterum firmi, molem eximie auctam, alvum inde a morbi tempore quotidie deposuisse, tenuem tamen, et pultis instar liquidam, porro tenues illi cibos melius quam crassiores atque solidos convenire, quin interdum, post duriores cibos, praesertim ex leguminum genere, copiosius haustos, doloribus quibusdam gravativis per regionem hypochondriacam dextram, tum praecipue corripi, cum alvum depositura esset.

Et nuperrime quidem eam bene prorsus valere, ex viro Cel. Dr. *Gumpert* accepi, quo teste corporis est firmi, atque pro tam gravis morbi, quem vix evaserat, ratione, satis nitidi. Functiones corporis rite omnes procedunt, interdum tamen, perspicua causa nulla praegressa, doloribus occupabatur regionum hypochondriacarum, pristinis illis, quibus per morbum vexata erat, similibus, spasticis, constringentibus, minime quidem intolerabilibus, molestis tamen atque acerbis, binos aut ternos dies

durantibus, quos vomitus saepissime comitari solebat. Ciborum vero potionisque parcissima et cauta assumptione dolores isti mitigabantur et accessiones eorum breviores fiebant. Quibus denique superatis, commoda sequebatur valetudo. Primis quidem post morbum feliciter superatum mensibus, crebriores redibant hujusmodi paroxysmi, nunc vero jam inde a sex fere mensibus nullum se doloris sensum expertam esse mulier perhibet.

Abdomen vero, denuo examinatum, nihil fere habet, quod prae ceteris animadvertendum esset, nisi forte eam partem, quam tumor olim obtinebat, nunc etiam paulo tensiorem dixeris. Regio hypogastrica laxa est et rugosa, siquidem mulier plures peperit infantes. Ceterum, ventrem etiamsi vehementius compresseris, doloris tamen omnino expertem invenies. Ciborum appetentia, qualis in sanis esse solet, nullo viliorum meliorumve ciborum discrimine, praeterquam quod fluida potius in genere, quam solida convenire soleant, omnium autem minime legumina, quibus vehementes inflationes oboriantur. Alvum per singulos dies rite deponit, noctu bene dormit, interdiu omnibus domesticis officiis strenue praeest. —

PARTIS INTESTINI TENUIORIS PER ALVUM EMISSAE DESCRIPTIO ANATOMICA.

Massam dejectam cum mesenterii quae adhaeret, haud exigua parte, ad intestinum tenue referendam esse, primo fere intuitu manifeste probatur. Hujus vero intestini canalis digitorum quadraginta longitudinem, latitudinem vero digiti unius et quod excurrit adaequat, ex altera quidem parte tamquam

erosum, lacerum, fimbriatum, et (quoniam intra canalem intestinorum per satis longum tempus versatum est) concoctione varie mutatum, et quodammodo subactum. Ex altera vero arctissime constrictum, obtusum, cum inflammationis, tum exsudationis, denique ipsius sphaceli, quo correptum a reliquo intestinorum tubo quasi per vim avulsum esse videtur, manifestis vestigiis insigne. Forma ejus duplici conspicua est curvatura; altera externa, longiore, ipsius canalis; altera interna, minore, ad mesenterium, quod priori adhaeret, pertinente, ita tamen, ut magna ipsius intestini pars, mesenterio nequaquam adhaerente, libera promineat, quae internam superficiem oculis conspiciendam praebet, ac deinde in fimbrias et villos, quos dixi, exeat. Neque difficile tunicae tres, intima scilicet villosa, nervea et muscularis oculis discernuntur, quibus accedit externa, nempe ea, quae a peritonaeo formatur, cuncta abdominis viscera obtegente. Atque eodem modo mesenterium quoque conspicuum est, cujus utraque lamina probe distinguitur, et vasa sanguifera inter utramque diffusa, et adeps qui naturaliter ibi nasci solet.

Cum aegrotae filia intestinum illud, faecium adhuc aliquid continens, medico afferret, alterum ejus os, quod constrictum esse dixi, recenti sanguine perfusum erat, totum autem vas materia quadam fluida, nigrescente, sanguinolenta, odoris teterrimi stercoracei, repletum erat.

CASUS SIMILES
APUD VARIOS AUCTORES OCCURRENTES.

Becker, M. G., In Ephemerid. Nat. Curios. Dec. I. an. IV et V. Pag. 56. Observ. LXVIII. ubi sermo est de intestini coeci parte longitudinis digiti majoris, membranosi, rugosi, ex altera parte patuli atque erosi, ex altera vero clausi.

Albrecht, Joh. P., Ibidem Dec. III. an. III. Pag. 227. Casum refert intestini tenuis cum valvula Bauhini omentique parte adhaerente, salva vita per alvum expulsi.

Monro, Remarks on procedentia ani, intussusception, inflammation and volvulus of the intestines med. and physic. essays Vol. II. No. 27. Pag. 359. mortua est aegra hebdomade post intestini partem emissam sexta.

Dougall, in *Duncan* med. comm. D. I. Vol. IX. Pag. 287. Aegra coli portione ad duodeviginti digitos longa per alvum dejecta, obiit intra viginti dies.

Hunter, on intussusception in med. Transact. of a. soc. for the impr. of med. and chir. Knowledge. Vol. II. Pag. 149.

Bowmann, Case of intussusception which terminated favourably, by the separation and discherge of the coecum with et portion of the colon and mesocolon in Edinburg. med. Journ Vol. IX. Pag. 492.

Hevin Recherches historiques sur la gastrotomie dans le cas de volvulus. Memoires de l'acad. de chir. Vol. IV. ubi *Sobaux* viri mentionem facit, qui coli portionem ad digitos viginti tres longam dejecisset; ac deinde *Solguer* viri juvenis, qui Ilei viginti digitos, et brevi tempore interjecto, alios octo edidisset, neque tamen inde ab hoc tempore erecta statura incedere potuisset.

Westphal, A., Dissertationem edidit Gryphiswald. a. MDCCXLI casum exhibentem partis intestini jejuni per guttur inferius excretae, salva tamen manente aegri vita.

Horn's Archiv 1810. Bd. I. Pag. 275. *Schreger* casum tradit mulieris, quae intestini parte decem digitorum expulsa, per mensem adhuc vixisset; alterius vero, quae portione ad viginti digitos longa cum mesenterii parte amissa, nona demum hebdomade supremum diem obiisset.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Natus sum Carolus Fridericus Henricus Hedinger, Rawiczo-Posnaniensis, Calendis Novembribus anni MDCCCIV, patre optimo Henrico, et matre carissima e gente Rudzka, confessionique evangelicae addictus. Primis litterarum elementis imbutus anno MDCCCXVIII Herfordiam me contuli, ibique numero alumnorum Gymnasii Fridericiani adscriptus, sex per annos litteris, quae ad academica studia via muniunt, vacavi. Mense Octobri anni MDCCCXXII Berolinum petii, ibique inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, per quadriennium his virorum clarissimorum praelectionibus interfui: Cel. Wolff hodegeticen et logicen mihi tradidit. Illustr. Rudolphi de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia dentium et organorum sensuum, de entozois et de anatomia comparata disserentem audivi. Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae, artis formulas medicinales concinnandi et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Illustr. Knape. Eodem et Rudolphi in arte cadavera rite secandi praeceptoribus gavisus sum. Botanicen et historiam naturalem universam Illustr. Link, physicen, chemiam et pharmaciam Cel. Turte et Illustr. Hermbstaedt mihi tradiderunt. De physiologia tam generali quam speciali Cel. Eck et Illustr. Rudolphi praelectionibus interfui.

Pathologiae generalis, semiotices Illustr. Fr. Hufeland, therapiae tam generalis quam specialis Illustr. Fr. Hufeland et Perillustr. C. W. Hufeland, pathologiae specialis et de morbis mentis, nec non syphiliticis doctrinae Illustr. Horn praeceptores fuerunt. Materiam medicam, therapiam fontium medicinalium et experimenta in subitaneis vitae periculis instituenda Illustr. Osann me docuit. Celsi de medicina et Burserii libros Cel. Hecker mihi interpretatus est. Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artemque obstetriciam Illustr. Kluge me docuit. Tradiderunt mihi ophthalmiatricen Cel. Jueng-ken, chirurgiam generalem et specialem Illustr. Rust, akiurgiam Illustr. de Graefe, Rust et Kluge. Exercitationibus clinicis medicis adfui Perillustr. C. W. Hufeland et Illustr. Neumann, chirurgicis Illustr. de Graefe et Rust.

Quibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio caritatis Berolinensi per annum functus sum. Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime superatis, spero fore, ut dissertatione, quam conscripsi, et thesibus rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur. Quibus factis medici inferioris apud exercitum munus suscepturus, Schweidnitziam me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Laparotomia in intussusceptione interdum indicata.

II.

In Syncope cito provocanda, venaesectio arteriaetomiae praeferenda.

III.

Exan[illegible]ta pro crisi habenda.

IV.

Tubercula pulmonum et scirrhus multis numeris inter se conveniunt.

V.

Morbi mentis in corporis mutatione primaria positi sunt.

VI.

Pneumonia et pleuritis facile internoscuntur.